

Postquam vos, sodales, amici amicaeque linguae Latinae, optime certavistis, vertendo sive interpretando illas litteras hominis excellentissimi Conradi Gesneri, nunc meum est orationem habere (promitto oratiunculam eam futuram esse) ut vos commendem et eos (sive eas) annuntiem, qui inter tot praeclarissimos competitores maxime excelluerunt.

Hoc munere fungor in ea lingua, qua vidistis etiam eos viros vere Turicenses usos esse, qui multo facilius loqui et scribere potuissent sua – id est vestra – lingua. Sed maluerunt scribere Latine – id enim erat hominum doctissimorum eius aetatis. Nullo autem alio modo nugae paupertatis et parsimoniae illustrissimi Gesneri digniores videntur et virtus reformatrica modestiaeque prisca magis splendent.

Palmam suspicor non fuisse inter plantas in Gesneri horto satas. Sed palmam, ut ita dicam, metaphoricam mihi concessum est eis vestrum tribuere, qui vicerunt. Palma enim, ut scitis, apud Romanos signum victoriae erat.

Primo autem loco posuimus Nicholas Charles.

Proxime accessit Saskia Aeschbach.

Tertia cursum perfecit Mirjam Rüegg.

Victoribus toto pectore congratulor, omnes autem laudem meriti estis. Vobis omnibus igitur gratias ago, quod non sub palmis recubuistis sed de palma optime certavistis, quod laborem, ut spero, non sine gaudio subistis.

Plaudemus illis qui palmas adepti sunt.

Plaudemus illis qui fortiter certaverunt hoc Certamen Turicense.

Nec plaudentes obliviscamur illorum qui adiuverunt, magistrorum, arbitrorum eorumque, qui certamen paraverunt, sine quibus non convenissemus.